Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



2

que diu acriter agitata, sed ab Innocentio XII tandem indicto utrique parti silentio sopita est) nil affirmo, nil nego; sed, quia ad me non pertinet, iis, quorum interest, relinquo. vide infra Annot. 45.

20) I. Paral. XXIV. Excivit autem sors prima Joiarib, secunda Jedei, tertia Harim, quarta Seorim, quinta Melchia, sexta Maiman, septima Accos, octava Abia, nona Josua, decima Sechenia, undecima Eliasib, duodecima Jacim, tertia decima Hoppha, decima quarta Isbaab, decima quinta Belga, decima sexta Emmer, decima septima Hezir, decima octava Aphses, decima nona Pheteia, vigesima Hezechiel, vigesima prima Jachin, vigesima secunda Gamul, vigesima tertia Dalajau, vigesima quarta Maazjau. Hæ vices eorum secundum ministeria sua, ut ingrediantur domum Domini, et juxta ritum suum submann Aaron Patris eorum.

21) Non fuisse Zachariam summum Sacerdotem seu Pontificem; tum ex hac Luc. I, 5 claret, tum fusius demonstratur a Baronio Appar. ad Annal. Eccles. § 6 et sqq. De Genealogia Zachariæ parum constat. Patrem ejus Barachiam nominant omnes, qui illud Christi quod Matth. XXIII, 35: ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare: de Patre S. Joannis Baptistæ interpretantur. Sane, licet hæc opinio certa non sit, probabilior tamen videtur, quam illa Doctoris maximi Hieronymi l. 4 Comment. in Matth. XXIII; ubi tres Zacharias distinguit: Alii Zachariam filium Barachiæ dicunt, qui in duodecim Prophetis undecimus est; patrisque in eo nomen consentit: sed ubi occisus sit inter templum et altare, Scriptura non loquitur: maxime cum temporibus ejus vix ruina templi fuerint. Alii